DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDROPE ANASARCA.

2

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE HYDROPE ANASARCA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS ANDERSON,

Scotus.

——" *Crescit indulgens sibi dirus hydrops.*"

HOR.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

Excudebat Jacobus Neill.

MDCCCXIX.

ALEXANDRO BELL,

REG. COLL. CHIRURG. LOND. SOC.

NOSOCOMIO APUD ALECTUM CHIRURG.

VIRO ILLUSTRI,

OB OMNES VIRTUTES,

TAM PUBLICAS QUAM PRIVATAS,

QUÆ HOMINEM FACIUNT ET ORNANT;

HOC OPUSCULUM,

TESTIMONIUM QUIDEM EXIGUUM,

GRATI QUO COLIT ANIMI,

MEMORIAM STUDII ET CURÆ,

QUIBUS EUM LIMEN

ÆDIS HIPPOCRATIS

PRÆTERGRESSURUM FOVIT,

DEDICAT

AUCTOR.

DAVIDI ANDERSON,

ARMIGERO,

TESTIMONIUM QUIDEM PERTENUE

AMICITIÆ AC ORSERVANTIÆ,

HÆC PIGNORA

GRATUS INSCRIBIT FRATER

JACOBUS ANDERSON.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDROPE ANASARCA.

Jacobo Anderson Auctore.

Institutis academicis, quæ omnes, lauream medicam sibi adipiscendi cupidos, specimen scientiæ edere jubent, obtemperans, quædam de Hydrope conscripsi. Inter eos morbos, qui homines, constitutione conquassatos sæpissime invadunt, hic locum merito obtinuit. Quamvis enim quispiam nusquam quidem est, tam constitutionem

firmam habeat, quin quibusdam aliis causis nocentibus admotis, hoc morbo dirissimo opprimatur. Veruntamen eos, quibus corpus debile, imbecille, et intemperantia exhaustum est, maxime infestat. Hydrops pro partibus, quibus aqua accumulatur, varia nomina adeptus est: si aqua in cerebro sit, morbus Hydrocephalus appellatur; si in thoracis cavo, Hydrothorax; si in pericardio, Hydrops pericardii; si in abdominis cavo, Ascites, si in utero, Hydrometra; si in ovario, Hydrops ovarii; si in tunica vaginali testis, Hydrocele; et denique, si in telæ reticulatæ cellulis, Anasarca. De genere autem horum postremo solummodo, anasarca nempe, loqui mihi in animo est. Hoc a Culleno præclaro in sua Nosologia Methodica his verbis definitur: "Totius corporis vel partis "ejus intumescentia mollis, inelastica."

HISTORIA MORBI.

Post situm corporis erectum diu servatum, vel multum ambulationis, tumor pedes talosque vespere adoritur, qui primo adeo parvus est, ut ægri

attentionem vix capiat; sed morbo progrediente, evidentior simul extensiorque fit, ita ut calcei vel alii vestitus, quos æger antehac induerit, nunc angustiores evadunt, et tumor a digitis pressus, eorum impressionem retinet, quæ non statim evanescit, sed aliquamdiu maneat, donec ille molem priorem recuperat. Tumor primo propter statum corporis recumbentem per noctem gradatim minuitur, vero ut morbus procedit, immutabilior fit, et ab eo tempore parvum augmentationis aut decrescentiæ in ullo situ observatur.

Morbo ingravescente, tumor crura et femora ascendit, hisque partibus tumefactis, distenditur abdomen, ita ut asciten referre. Postea partes trunci corporis superiores atque brachia aggreditur. Deinceps cervicem, caput, et omnes partes alias corripit, donec tandem totum corpus cum aqua inundatur. Haud raro palpebræ oculorum ita tumentur, ut lux intrare vix potest. Hæc autem symptomata ita se habent, ut dyspnœa quam tussis vehemens molestaque comitatur, supervenit, atque multum urget, quamdiu perstat morbus. Aqua per cutis meatus in guttulis leniter profluit,

vero aliquando suppressa, integumenta prorumpit, ulceraque incitat, quæ gangrena sanatu difficili fere semper corripiuntur. Urina rubra, minus copiosa est, et sedimentum copiosum demittit; sitis urget; pulsus parvus, debilis, nonnunquam inæqualis, cutis frigida aridaque; vultus luridus tumidusque; alvus astricta, interdum soluta; et motus voluntarii hebetes languidique fiunt. His omnibus signis continue festinantibus, imprimis respiratione difficiliore, pulsu frequentiore, et magis inæquali, languore, torpore, febricula invadentibus, et denique ægro miserrime aqua extrinsecus; nec minus his symptomatibus intus cruciato, brevi tollitur.

DIAGNOSIS.

Ab omnibus morbis aliis, historiæ signorum diligenter auscultando, anasarca facile distinguatur. Pneumatosis tamen, et fortasse, Polysarchia morbi sunt, quibuscum, attentione non satis adhibita, confundi potest. Prior ex anasarca dig-

noscatur, sub digitis crepitando, vi ejus resiliendi, ejus levitate, et denique celeritate qua tumor ortus est. Posterior anasarca discernatur, impressione digitorum non retenta, et prægressorum notitia. Denique anasarca ab his facile internoscatur, urinæ inopia, et siti insolita, quæ plerumque in illa, sed nunquam in his adsunt.

PROGNOSIS.

Inter tradendum anasarcæ prognosin, ægri ætati viribusque, atque morbi durationi, causis, signisque, animum advertere oportet. I. Ætas viresque ægri notandæ sunt; medicina enim per statum corporis debilem exhaustumque, in annis labentibus, quam ætate florente, ad curationem anasarcæ efficiendam multum minus valet. II. Duratio morbi est haud levis momenti; ut omnibus primo intuitu satis perspicuum erit. III. Causæ morbi diligenter considerandæ sunt; nisi enim fontem et originem e quibus morbus oritur, cognoscimus, nullam prognosin justam de eo instituere possumus. Nam si ortus fuerit, ex morbis

acutis, veluti febribus, et si cito agere desinant, prognosis certe erit faustior, quam si ex morbis fere immedicabilibus, veluti vitiis cordis, aut vasorum magnorum organicis, originem duxerit. Si ex posterioribus; si æger ætate provectior sit, et vires ejus intemperantia fractæ, multumque exhaustæ; si dyspnœa febriculaque multum urgeant; si sitis magna dum urina parca sit; si totum corpus vel magna ejus pars cum aqua inundetur; et denique, si remediis idoneis tempestivisque admotis, tumor nihil imminuatur, vero contra major majorque fiat, prognosis infausta est.

CAUSA PROXIMA.

Vasa exhalantia partem sanguinis pellucidam in omnia cava corporis organa assidue effundunt, quæ ope vasorum lymphaticorum, ex iis organis denuo resorbetur, inque sanguinem defertur. Hoc modo ab accumulatione cavetur, quamdiu æquilibrium inter vasa exhalantia et absorbentia non perit. Hoc autem æquilibrio cessante, accu-

mulatio sequela sit. Copiâ enim humoris insolitâ exhalantibus effusâ, et absorbentibus simul in statu naturali manentibus, collectio accedit; vel contra, exhalatione parum aut nihil aucta, tamen inhalatione præter ordinem minuta, accumulatio fit; vel denique, exhalatione aucta et inhalatione simul diminuta, eadem sequitur. Ex his ratio redditur, cur proximam anasarcæ causam exhalationi auctæ vel absorptioni minutæ attribuere medicis placuit.

CAUSÆ REMOTÆ.

Ad causas remotas vero quod attinet, medici eas, in prædisponentes et excitantes distinguere solent. Prædisponentes dicuntur causæ illæ, quæ homines morbo opportunos reddunt. Hæ vocantur causæ excitantes, quæ in hominibus jam proclivibus, morbum excitant.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Omnia, quæ debilitatem corporis summam inducere possunt, veluti usus immodicus liquorum inebriantium aut hydrargyri, ætas provecta, vita sedentaria, diæta parca et tenuis, aër insalubris, suppressio excernendorum, evacuationes nimiæ, morbi priores, vel totum corpus, vel tantum ejus aliquas partes afficientes, causæ anasarcæ prædisponentes habendæ sunt. Quamvis aspectu primo explanatu difficilimum videatur, cur quædam harum debilitatem incitent, tamen attentione minima adhibita, hoc obvium fit. I. Liquores inebriantes in corpus recepti, primo vires ejus mirum in modum augent, pulsus incitant, secretiones atque excretiones expeditiores reddunt, facultates animi erigunt, et hilaritatem inducunt. Cessante autem horum stimulo, hæc brevi desinunt, et pro gradu excitationis, plus minusve debilitatis semper supervenit. Nam nimiæ corporis excitationis, debilitas naturalis atque fere inevitabilis sequela est. II. Hydrargyrus quacunque via

ingeratur, corpus stimulat, hoc autem quoque pro tempore tantum perstat, nam partim ab hoc, partim ab exinanitione quam facit, brevi vires exhaurit, et sic opportunum anasarcæ corpus reddit.

CAUSÆ EXCITANTES.

Cursus sanguinis, arteriis, venis, et lymphaticis perficitur. Ex corde sanguis per arterias ad partes corporis fere omnes defertur, et per venas denuo remittitur. Remotissimi autem ramuli arteriarum, crassiores sanguinis partes prorsus excludunt, ideoque partem tantum tenuem vehunt, quam in omnia cava corporis organa exhalant, hinc nomen exhalantium. Humor sic effusus exhalantibus, lymphaticis in cavis organis hiantibus, denuo resorbetur, et ad cor reducitur. Nunc admotis causis excitantibus, et his vasis agentibus, effusio aucta aut absorptio minuta excitetur. Hinc igitur de causis effusionem auctam aut absorptionem minutam inducentibus, nunc dicendum est.

Effusio aucta. I. Quæcunque reditum sanguinis per venas impediunt vel obstruunt, veluti vitia cordis organica, ossificatio ejus valvularum, tumores, et similia, effusionem auctam excitant. II. Aqua per os vel per cutem copiose sumpta, et excretionibus non egesta, vasis exhalantibus in cava corporis organa effundatur, et sic effusionem auctam faciat. Eadem accumulatio quoque oriri potest, ab obstructione aquosarum secretionum aut excretionum, hoc ex suppressione aut diminutione urinæ custisque simul halitus, effusio aucta excitetur. III. Inopia crassiorum sanguinis partium, sive ex organis concoctioni inservientibus male se habentibus, sive ex magnis sanguinis profluviis oriens, effusionem augeat. IV. Debilitas magna vasorum exhalantium cum aliis causis conjuncta, effusionem auctam sæpe movet. V. Anasarca oriri potest, ex lympha in telæ reticulatæ cellula effusa, veluti a diruptionibus vasorum lymphaticorum nonnunquam accidat.

Absorptio Minuta. I. Debilitas vasorum lymphaticorum extremorum, ex quibuscunque

fontibus oriatur, absorptionem minuit, veluti satis perspicuum est, ex anasarca actione eorum aucta sæpe sanata. II. Obstructiones lympaticorum vasorum vel glandularum, transitum lymphæ in his impedientes, absorptionem imminuere putatæ sunt. Ex frequentibus inosculationibus tamen inter hæc vasa, haud pauca eorum sine effectu magno obstrui poterunt. Nihilominus si hæ obstructiones generaliores evadunt, veluti fortasse, ex tumoribus ductum thoracicum comprimentibus, aliquando eveniant, absorptionem haud parum minuant.

RATIO SYMPTOMATUM.

Tumor pedes talosque vespere adoritur. Hoc signum oritur, ob cellulas diversas telæ reticulatæ inter se communicantes, aqua itaque in his collecta, propter ejus gravitatem et statum corporis erectum, ad partes inferiores descendit; ex hac quoque corporis positione descensus sanguinis per arterias expeditur, sed ascensus ejus per venas tardatur, plus igitur pellucidæ san-

guinis partis in vasa exhalantia impellitur, quæ ex iis effusa, tumorem haud parum augeat. Ex his facile intelligitur, cur in statu recumbente tumor minuitur.

Impressio digitorum retinetur, quæ non statim evanescit. Aqua ex cellulis continentibus in vicinas pressura expulsa, nisi post tempus aliquod præteritum est, situm priorem recuperare non potest.

Dyspnoea. Hoc fit, partim ex pulmonibus compressis, aqua intra thoracem, et partim ex descensu septi transversi impedito, aqua intra abdomen collecta.

Tussis. Ex aqua pulmonem irritante, copiosior ejus muci secretio excitatur, quæ bronchia irritat, et tussem vehementem molestamque incitat.

Ulcera, &c. Humor effusus stagnans, acrimoniam acquirit, quæ partes irritat, ulceraque excitat, quæ demum ob atoniam, cum gangræna sanatu difficili sæpe corripiuntur.

Urina parca, rubra, et sedimentum copiosum demittit. Ob tenuem sanguinis partem in cellulas telæ reticulatæ currentem, ad renes minus

ejus defertur, quo urina multum minuitur. Nunc ob hanc rem salinæ et aliæ urinæ materiæ densantur; hinc rubra fit, atque ab eadem causam, sedimentum copiosum deponit.

Sitis urget. Ob tumorem tenuem in cava corporis organa effusum.

Pulsus parvus, debilis, frequens, aliquando inæqualis. Hic status pulsus oritur, non tantum ob summam corporis debilitatem, sed etiam ob aquam intra thoracem abdomenque collectam, transitum sanguinis per pulmonem impedientem: aliorum signorum haud obscura est ratio.

RATIO MEDENDI.

Indicationes curatoriæ tres sunt. I. Causas remotas removere. II. Aquam accumulatam evacuare. III. Tonum systemati restituere.

CAUSAS REMOTAS REMOVERE.

Nostris summis viribus operam dare oportet, ut hanc indicationem impleamus, nam si causæ hæ maneant, remedia frustra exhibita erunt, Hoc autem non semper facile perfici potest. Quædam enim harum sunt, veluti vitia viscerum diuturna, ossificatio cordis valvularum, aneurismata ejus vasorum magnorum, similesque affectus, quæ tolli nequeunt. Tamen causæ multæ sunt, quæ remediis tempestivis removeri possunt. Nam scirrhus viscerum medicinis deobstruentibus interdum submoveatur, quorum omnium hydrargyrus miximam vim habet: quamvis quidem supertartris potassæ nonnihil hujusmodi vis possideat.

AQUAM ACCUMULATAM EVACUARE.

Provisa indicatione prima, nunc ad secundam veniamus. Hæc autem exitibus vel arte vel natura factis impleri potest.

Exitus arte inducti, vesicatoriis, fonticulis, et puncturis perficiuntur. I. Vesicatoria ad aquam extrahendam, bono haud sine successu exhibita sunt, nisi tamen adhibentur, priusquam partes tonum amiserunt, loci quos occupant, fere semper cum gangræna et sphacelo corripiuntur. II. Fonticuli in partibus extremis felice cum effectu usurpati sunt, aliquando vero ab eadem causa ac vesicatoria, in ulcera sanatu difficilia degenerant. III. Puncturæ, ut multo minus periculi dolorisque has comitatur, et ut simul liberiorem aquæ exitum præbent, quam vel vesicatoria vel fonticuli, hoc consilio plerumque instituuntur. Ad hunc finem, tres quatuorve infra genu fiant, simul cavendum, ut adeo formentur, quod intentione prima conglutinent; nam omnia partium hydropicarum vulnera, qualiscunque causa eorum sit, in gangræna aperiant. Cum puncturæ, neque nimis latæ, nec nimis profundæ, factæ sunt, plerumque brevi agglutinant; aliquando vero degenerantes in gangræna desinunt. Siquando igitur proclivitas talis appareret, ad remedia præstantissima adversus eam, scilicet applicationes idoneas ex-

terne, et vinum, corticem cinchonæ officinalis, ceteraque ejusmodi interne, confugere oportet.

Exitus naturales. His quam aliis medici, et ut videretur non immerito, magis confidunt. Quamvis enim per vias arte factas, aqua interdum detrahi possit, tamen actione nulla salutare excitata, illa iterum accumulat. Res autem longe aliter est, si aqua per vias naturales fuerit abtracta, nam tenues secretiones atque excretiones incitantur, actio vasorum absorbentium augetur, et aqua ex partibus continentibus resorbetur, et excretionibus naturalibus e corpore excernitur. Remedia ad hoc consiluim exhibenda sunt, emetica, cathartica, diuretica, et sudorifica.

Emetica. Vomitus sive sponte oboriens, sive arte inductus, ad aquam ex partibus hydropicis extrahendam sæpe multum conducit. Haud raro inter vomendum, humores serosi subito et copiose resorbentur, et e corpore ejiciuntur, quo morbus non modo sæpe multo levatur, sed quoque interdum prorsus depellitur. Emetica

tamen minime semper ad anasarcam curandam bene aptantur, nam in valde debilibus vomitus vehemens, vires exhauriendo, haud parvum periculi inferre poterit. Cum morbus ex obstructionibus pertinacibus ortus est, vomitus vehemens diligenter evitandus est, commotione enim quam facit, lacerentur vasa, et sic æger fere instanter obruatur. Cum emeticis opus esse habetur, vel vegetabilia sicuti cephaëlis ipecacuanha, vel mineralia, veluti antimonialia bene respondeant. Ex iis autem, posteriora scilicet antimonialia anteponenda sunt.

Cathartica. Ex iis remediis, medici summum commodum, aliis omnibus diu frustra adhibitis, interdum adepti sunt. Cathartica maxime prosunt, ubi vires etiamsi fuerint fractæ, non exhaustæ; sed ubi multum exhaustæ, haud parum periculosa sunt. Remedia hujusmodi cutis halitum minuunt, quod inter anasarcam curandam semper perniciosum esse habetur, sed evacuatione quam movent, saltem hanc rem compensant. Cathartica in drastica et mitiora dividuntur.

Cathartica drastica. Hæc si prudenter et rite adhibeantur, ad aquam educendam remedia præclara optimo jure habentur. Commode sumantur in partitis vicibus, sed sæpe repetitis, nam si non cito actionem vasorum resorbentium excitant, exinanitio quam inducunt, brevi corpus infirmat, et sic morbum gravat. Remedia hujusmodi sunt, rhamnus catharticus, helleborus niger, momordica elaterium, cucumis colocynthis, convolvulus scammonia, convolvulus jalapa, et stalagmites cambogioides. Tres priores, ut cum torminibus, gravibus et vomitu vehemente plerumque alvum cient, nunc ad anasarcam curandam non immerito raro præscribuntur. In administratione cucumeris colocynthidis, et convolvuli scammoniæ, prudentia magna opus est, nam suo periculo non carent, ut quidam satis superque experti sunt. Convolvulus jalapa, ut perraro tormina gravia, aut vomitum vehementem incitat, nunc ad hunc finem fere semper adhibetur. Pulveris jalapæ drachma dimidia, simul cum pulveris aromatici pauxillo, pro dosi bis in die sumatur; vel pulveris jalapæ compositæ drachma, et pro re nata repetatur. Gummi re-

sina stalagmitidis cambogioidis cum jalapa aut submuriate hydrargyri conjuncta, in dosibus parvis sæpe repetitis, eventu prospero exhibita est.

Cathartica mitiora. Remedia hujusmodi sunt sales neutri et super-tartras potassæ. In seculis prioribus, medicas vires hujusmodi medicamentorum in hydrope curando latebant, hinc igitur ad hunc finem vix aut ne vix quidem exhibebantur. Nunc autem quippe quæ experientia medicorum multorum haud parvi nominis docemur, quod vires non exiguas habent, in usum merito venerunt. Super-tartras potassæ, si in plenis dosibus fuerit exhibita, alvum ducit, si cum magna aquæ copia diluta, fluxum urinæ auget. Hinc ad curandam anasarcam, aut pro cathartico aut diuretico adhibeatur.

Diuretica. Omnium remediorum quæ ad curandam anasarcam ministrantur, diuretica celeberrima sunt. Verissimum est, medicamenta hujusmodi spem medici aliquando fefellisse, vero ea cum summo commodo sæpe exhibita fuisse,

non inficiendum est. Remedia hujusmodi quoque cum fructu sæpe adhibeantur, cum alia ob debilitatem corporis summam adhiberi non possunt. Causa cur modo et modo non medicamenta diuretica pollent, ad idiosyncrasiam imputata est; sed fortasse adhuc latet. Effectus salutares diureticorum, diluentia cum iis exhibendo, multum promoveantur. Quidam crediderunt, ut per vasa exhalantia diluentia egererent, et sic injuriosa fierent. Hæc opinio autem nunc aboletur. Diuretica prudenter administrata perraro injuriosa sint, tamen eorum abusus corpori haud parum noceant. Remedia hujusmodi sunt, digitalis purpurea, scilla maritima, colchicum autumnale, lactuca virosa, nicotiana tabacum, et sales; vero de his seorsum dicemus.

Digitalis. Hoc medicamentum in hydropis curatione magni momenti æstimatur. Sed id summa prudentia exhibere oportet. Aliquando enim in corpore aliquo tempore sine ullo effectu latet, vero tandem subito et vehementer erumpit, haud sine incommodo magno, vel etiam periculo, si incautius sit exhibitum. Veruntamen si cum

cautione adhibetur, plerumque urinam efficaciter movet, ideoque huic consilio egregie accomodatur. Fortasse tamen notatu dignum sit, quod siquando pulsus præter solitum tardos reddit, dosem minuere, vel si pulsus multo tardiores solito facti sunt, prorsus pro tempore omittere opus est.

Scilla. Hoc medicamentum inter remedia adversus hydropem præstanstissima jure habetur. Ut raro incommodum magnum excitat, præ digitale purpurea a medicis multis præfertur. Quamvis vero raro corpori multum noceat, tamen certe multis verbis non opus est, ut omnibus satis perspectum sit, quanto in ejus administratione curæ opus sit. Effectus salutares hujus medicamenti valde promoveantur, exhibendo simul hydrargyrum, et siquando catharsin hydrargyrus moveat, ad opium confugere expedit.

Colchicum autumnale. Hoc, ut remedium, quod aquam in hydrope evacuat, a Doctore Stork multo celebratum est. Ex ambiguitate tamen ejus effectuum, hoc consilio raro adhibetur.

Lactuca virosa. Hoc cum summo commodo exhibitum est, si narrationi Doctoris COLLIN de Vienna, credere liceat. Dixit enim, quod ex viginti et quatuor ægris, omnes uno excepto ab eo sanati fuerint. Inter ejus operationem, multum potus diluentis libere expedit, et enimvero haud raro prorsus necessarium est.

Nicotiana tabacum. Ab hoc medicamento usurpato affectiones hydropicæ non modo multum mitigatæ, sed quoque interdum sanatæ sunt. Attamen nunquam in usum multum venit; quamvis enim aliquando urinam moveat, tamen nihil commodi peculiaris ei inest, et vertigo aliique effectus molestii fere semper comitantur.

Sales. Haud pauca hujusmodi medicamenta ad ciendam urinam cum effectu felice sæpe usurpata sunt. Super-tartras potassæ laudes summas merito adepta est. Nec spiritus ætheris nitrosi immerito laudatus est. Ex alkalinis, soda et potassa aliquando, quamvis quidem perraro, adhibentur. Ex neutris, carbonas potassæ, sulphas potassæ cum sulphure, acetis potassæ, suis lau-

datoribus non carent. Sales si incaute sint adhibiti, alvum cieant, et sic medici spem fallant, sed si cum cautione, magnum urinæ fluxum sæpe efficiant, eoque morbum haud parum allevent.

Sudorifica. Hæc modo cum, modo sine commodo medicis exhibita sunt. Exempla satis frequenter occurrunt, quibus urina per ullum medicamentum moveri nequit, et quibus cathartica ob vires ægri exhaustas periculosa sint. Nunc in his sudorifica aliquando commode adhibeantur, quamvis enim evacuatio per sudorem, si copiosa et diuturna fuerit, non secus ac ea per catharsin noceat, tamen sudor brevis etiamsi copiosior, multo minus injuriosus est. Sudorifica non modo exhalationem per cutem eliciunt, sed quoque actionem vasorum resorbentium multum promovent. Nonnunquam inter sudandum humor effusus copiose resorbetur, quo sudor non modo insigniter augetur, sed magnum urinæ profluvium supervenit, quæ interdum morbum fere depellunt. Minime vero sudor in hydrope semper elici potest; nam interdum medicamentis validissimis eum provocare non vale-

mus. Ex remediis hujusmodi efficacissima fortasse sunt, medicamenta vomitoria cum opio conjuncta. Interdum hydrargyrum exhibere cum sudorificis prodest. Ille presertim utilis est, si ita fuerit adhibitus, ut corpus aliquantum afficiat, priusquam sudorifica exhibeantur. Inter sudandum aliqua prudentia opus est, non modo, a nimio frigore, sed quoque a nimio calore, cavere, nam sudor per calorem extortus nunquam prodest.

TONUM SYSTEMATI RESTITUERE.

Animum huic indicationi per decursum morbi totum advertere oportet, vero post aquam eductam, hoc maxime opus sit. Per remedia enim, quibus aqua dissipata est, corpus multo magis infirmum, ideoque hydropi tantum magis obnoxium redditur. Hinc satis perspicuum est, quanta ad corpus roborandum prudentia postulatur. Sunt remedia quæ ad hoc consilium implendum adhibentur, diæta bona et nutriens,

frictio, fasciæ, medicamenta tonica, exercitatio, et frigidarium.

Diæta bona et nutriens opportune assumpta, et bene concocta, ad corpus roborandum præ aliis omnibus conducit. Oportet eum cibum dare, qui non ventriculum male afficiat; sed qui facilis concoctu sit, et nutrimentum maximum præbeat.

Frictio cum panno laneo, motum sanguinis in venis promovendo, et actionem vasorum resorbentium augendo, sæpe prodest.

Fasciæ, circum pedes, suras, et femora arcte circumvolutæ, integumenta sustinent, ascensum sanguinis in venis promovent, eoque expeditissimæ sunt.

Medicamenta tonica, excitando ægri vires, haud parva utilitatis sæpe sunt. Multa hujusmodi medicamenta adhibita sunt, sed fortasse utilissima sunt, cinchona officinalis, et quædam ferri preparationes.

Excercitationem viribus ægri aptatam, effectus felices semper comitantur, imprimis corpus roborat, reditum sanguinis in venis accelerat, actionem vasorum resorbentium excitat, concoc-

tioni alimentorum oppitulatur, et varias secretiones atque excretiones promovet. Omnium excercitationum ambulatio saluberrima est, ideoque suaderi debet, si admittant ægri vires, quod si corpus valde infirmetur, pro excercitatione gestationem præscribere oportet.

Frigidarium inter efficacissima remedia roborantia optimo jure habetur sed inter id administrandum omni cura opus est, nam si nimis frigidum fuerit, aut si æger nimis diu in eo continuaverit, haud parum injuriosum esse poterit. Sed si neque nimis frigidum, nec nimis diu continuatum fuerit, corpus cito roborat.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 10. l. 11.	*pro*	custisque	*lege*	cutisque
10. l. 20.		cellula		cellulas
13. l. 4.		causam		causa
13. l. 5.		tumorem		humorem
16. l. 13.		consiluim		consilium
22. l. 6.		libere		bibere